

poetas intellegat, qui, ut alia mittam, totiens ortu occasuque signorum in declarandis temporibus utuntur, nec ignara philosophiae, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima naturalium quaestionum subtilitate repetitos, tum uel propter Empedoclea in Graecis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae uersibus tradiderunt.

5. Eloquentia quoque non mediocri est opus, ut de unaquaque earum, quas demonstrauimus, rerum dicat proprie et copiose. Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem atque iejunam cauillantur. Quae nisi oratoris futuri fundamenta fideliter iecit, quidquid superstruxeris, corruet : necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, et quae uel sola in omni studiorum genere plus habeat operis quam ostentationis.

6. Ne quis igitur tamquam parua fastidiat grammatices elementa,

[De litteris]

non quia magnae sit operae consonantes a uocabulis discernere ipsasque eas in semiuocalium numerum mutarumque partiri, sed quia interiora uelut sacri huius adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit.

4. alia *AB* : alio *H* || mittam *BH* : omittam *Ab* || utuntur *AbH* : -antur *B* || tum uel proper *om. A* || empedoclea *B* : enpedoclen *b* empodoclen *A* empedoclena *H*

5. proprie et copiose *BH* : copiose et proprie *A* || nisi *ABnbH* : si *Bg* || futuri *AbH* : -ra *B* || quidquid *BH* : quic- *A* || in omni *A* : omni *BH*